



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**R.P. Thomae Młodzianowski Poloni, Societatis Jesu,  
Praelectionum Theologicarvm Tomus**

**Młodzianowski, Tomasz  
Moguntiae Et Dantisci, 1682**

Difficultas I. An necessitetur Deus ad optimum?

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82973](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82973)



## DISPUTATIO II.

## De necessitate &amp; Convenientia Incarnationis.

**N**ecessitas Incarnationis ex duplici Principio deduci solet. Imprimis, an Deus necessitetur ad faciendum Optimum? deinde, an, supposito, quod facienda esset satisfactio rigorosa Deo ob peccata mortalia, fuerit necessaria Incarnatio? incipiendo à priori necessitate, sit

## QUÆSTIO I.

De Necessitate Incarnationis, independentem à peccato.

Si necessitatur Deus ad volendum Optimum, independentem ab omni peccato, debuisse etiam Incarnatio, ad quam debuisse etiam necessitari Deus. Ut hoc totum commodius intelligatur.

PRÆMITTO I. *Duplicem posse pro presenti necessitatem considerari.* Primò Physicam. Secundò Moralem. Physica, stat in determinatione ad unum, unà cum exclusione potentiae ad faciendum oppositum. Secunda autem est necessitas moralis, quæ stat in determinatione ad unum, unà cum inclusione potentiae faciendi oppositum, determinatione inquam orta non ex principiis intrinsicis, & natura ipsius operantis, sed ex aliquo extrinseco determinante moraliter, seu ex principio aliquo morali.

PRÆMITTO 2. *Indubie Deum habere necessitatem aliquam physicam*, imò & metaphysicam, sed non nisi in operibus ad intra; est enim Pater v. g. determinatus ad producendum VERBUM, ne habet potentiam non producendi. Quod autem non habeat ullam necessitatem physicam respectu ponendi aliquid ad extra, supponunt omnes tanquam articulum fidei, & tanquam demonstrabile ex eo, quod Deus sit liber. Quæstio tamen est, an habeat necessitatem moralem, saltem ad Optimum, ut affirmat Granado i. p. Contr. 3. Tract. 2. Ruiz Disp. 9. & 10. de voluntate. Negat autem Lugo hic Disp. 2. Sect. 1. Amicus d. 4. Aldrete d. 1. & 2.

PRÆMITTO 3. Quando Granadus & alii cum illo asserunt, dari in Deo necessitatem moralem, restringunt eam ad optimum; idque non optimum absolute, sed optimum respectivè, per ordinem ad Universum. Sic optima est multiplex unio Hypostatica, ad eam tamen pluries ponendam, non necessitatur Deus; quia in ordine ad Universum melior non est, tollit enim unitatem Capitis. Ad hoc autem, ut discernatur, quid sit optimum, ad quod necessitatur Deus,

supponit Granado, duplicis generis esse entia; quædam ejusmodi, ut in illis non detur ullus terminus, quo posito verum sit dicere, hoc jam est optimum; & ita non datur species optima, individuum optimum, nec ad ponendum in talibus optimum, necessitatur Deus, cum in illis ipsis non deveniatur ad optimum. Secundò dici potest, dari aliqua entia, in quibus veniri possit ad optimum; in quo genere dicit esse, Incarnationem, Productionem mundi, Prædestinationem, &c. *His præmissis, sit*

## DIFFICULTAS I.

*An necessitetur Deus ad Optimum?*

**D**ICENDUM est, Deum non necessitari necessitate morali ad faciendum Optimum.

PROBATUR I. Missis aliorum rationibus, argumento Negativo. Si æqualis sit Dei perfectio non semper velle optimum, vel non necessitari moraliter ad optimum, atque si Deus semper vellet optimum, vel necessitetur moraliter ad optimum: potius dicendum erit, non velle illum semper optimum, vel non necessitari illum moraliter ad optimum; sed Deus æqualem habet perfectionem, si non semper velit optimum, si non necessitetur ad optimum, quam haberet, si vellet, si necessitaretur moraliter; ergo potius dicendum est non semper Deum velle optimum, nec necessitari moraliter ad illud. Major probatur. Tum quia posita illa perfectione divinâ, magis intrinsecabuntur perfectiones divinæ Deo, intrinsecabilitate quæ non implicat, quæ enim in hoc implicantia? major autem earum perfectionum intrinsecatio, ponit majorem in illis perfectionem, quia majorem independentiam, imò per hoc magis proportionabuntur illæ perfectiones, ipsi esse divino, cum ipsum esse divinû, sit independentem, à se, sibi sufficiens. Tum quia posita æternitate perfectionum, quæ est independentem à variatione temporum, & quæ æque est æterna, sive fluat, sive non fluat tempus, perfectior hoc ipso ponitur æternitas, præ æternitate dependente à tempore; posita item intellectione divinâ æque perfectâ, sive cognoscat muscam, sive supremum Angelum, ponitur perfectior notitia præ illa, quæ sequeretur conditionem objecti: ergo & perfectior erit voluntas, quæ æque erit perfecta, sive perfectius, sive imperfectius velit, & quamvis non necessitetur ad optimum. Tum quia concipiendo talem voluntatem Dei, qualem adstruit major allata, duplici titulo exaltaretur voluntas Dei: primò ratione perfe-



perfectiois, nam utroque casu æque esset perfecta: Secundò ratione majoris libertatis, independentiæ, indeterminationis, spectantis ad categoriam libertatis, quæ etiam est perfectio simpliciter simplex. Minor principalis argumenti probatur. In actu Dei volentis optimum, & in actu Dei volentis mediocre, item in actu qui sit necessitatus moraliter ad optimum volendum, & in actu qui non sit necessitatus, duo considerari possunt: entitas actûs & extrinsecum objectum; quantum ad entitatem actûs, uterque est æquè perfectus; nam est ipsemet Deus, qui non potest esse nunc perfectior, nunc imperfectior. Secundò spectari potest ipsum objectum extrinsecum, sed hoc nullo modo spectat ad perfectionem intrinsecam Dei. Tum quia etiam actus intellectûs divini, quo concipit muscam, æquè intrinsecè perficit Deum, atque quo percipit leonem. Tum quia, quando Deus determinatione moralifertur ad plura optima, quamvis unum optimū melius alio sit, ratione ordinis & generis; nam Hypostaticum totum, magis est optimum, optimo quod est mundus; & tamen æquè perfectus est uterque actus, extrinsecumque illa objecta, nullo modo variant intrinsecam perfectionem Dei; sed sub æquè perfectam voluntatē Dei cadunt, ergo etiam nec variabitur voluntas divina, Deo aliquid etiam minùs perfectum volente. Tum quia possibile est, ut extrinsecum objectum non variet intrinsecam perfectionem Dei; ergo de facto non variat, nam in actu puro, à posse, rectè arguitur ad actum.

PROBATUR 2. Non datur optimum, ad quod Deus, necessitate morali, amandum determinetur; vel si datur, ad illud amandū, physicā necessitate, determinabitur; ergo immeritò assumit Granado, necessitatem istam moralem, stantē cum physica potentia ad oppositum. Antecedens probatur secundum tria, quæ in sententia Granadi censentur esse optima, quæ sunt Totum Hypostaticum, Creatio mundi, Prædestinatio. Quod attinet ad totum Hypostaticum, illud tria involvit, naturam humanam, Personam divinam, Unionem, sive illa sit distincta, sive non. Totum Hypostaticum secundum naturam humanam spectatum, non est optimū; nihil enim est nisi individua natura humana: in individuis autem & speciebus creatis, non est invenire optimum, per Granado. Unio etiam de se spectata, non est quid optimum: nam si indistincta, non est quid optimum; si autem est distincta, nondum erit optimum quid. Tum quia optimum deberet esse exclusivum paris, sicut optimum in ratione naturæ divinæ excludit par in ratione naturæ; Unio autem Hypostatica patitur possibilitatem aliis & aliis Unionis Hypostaticæ. Tum quia in reliquis individuis non est devenire ad optimum: Ergo nec in individuo

Unionis. Tum quia in unione Hypostatica duo sunt; entitas illius, deinde nexus cum Persona divina. Si spectetur in entitate, non est quid optimum; posset enim dari perfectior species entitatis alligativæ ad Personam divinam: si autem spectetur in ratione nexûs, hinc non arguitur optimalitas, nisi ipsius termini; nam etiam creatura dicitur nexum cum Creatore, neque tamen id salvat optimalitatem nisi termini. Residuum itaque quod posset esse optimum in toto Hypostatico, est Persona divina: verum ad hanc amandam, non determinatur Deus necessitate morali, sed physicā, imò metaphysica: implicat enim negatio amoris Personæ divinæ, in ipsomet Deo. *Neque valet si dicas:* Necessitatem hanc moralem, versari circa Personam prout terminantem. Quia hoc, quod est esse Personam prout terminantem, dicit naturam, Unionem, Personam, quorum priora duo non sunt optima, tertium est optimum, sed necessitativum physicè ad sui amorem. Quod autem dictum est de toto Hypostatico, idem proportionaliter dicendum est de prædestinatione, quæ dicit actum divinæ voluntatis intrinsecum, qui non potest non amari, dicit item collationē mediorum, & postea salutem æternam, quæ non sunt quid optimum, nisi spectetur objectum salutis Deus, idem proportionaliter applica ad productionem universi.

*Hic ipse medius terminus sic aliter proponitur.* Optimum ad quod dicis necessitari Deum necessitate morali, vel est increatum, vel creatum. Si increatum, ergo aliquod bonum increatum, quod est ipsemet Deus, potest non amari, in quo stat necessitas moralis; quod si illud optimum est creatum, quæ ro estne finitum an infinitum? Si infinitum, facient in contra argumenta quæ alibi contra infinitudines tales formantur. Si autem est finitum: Ergo additione perfectionis perfici potest; nam perfectio addita perfectioni, in ente finito, auget perfectionem: Ergo ante illam additionem, & erat optimum, ut supponitur, utpote ad quod volendum necessitatus est Deus; & non erat optimum; quia optimo in illo genere non datur melius: jam autem illud optimum seipso esset melius, post additam illam perfectionem; consequenter ante additionem illius perfectionis non necessitabatur ad illud amandum Deus, & tamen supponitur necessitatus; non necessitabatur inquam, quia nondum erat optimum. Quod argumentum redit, quamvis ponas addi perfectionem aliam, quia illa addita potest adhuc alia addi, consequenter nunquam devenietur ad conditionem optimi, adeoque necessitativi moraliter ad amandum. *Neque valet si dicas,* quod illi optimo creato, nihil perfectionis addi possit; quia si intelligatur de perfectione essentiali, id illi commune est cum omnibus, quæ non censentur optima: si autem intelligatur de perfectione accidentali, hæc propositio est falsa.

PRO-



PROBATUR 3. Quia cum illa necessitate morali volendi optimū, & staret potentia physica ad nolendum optimum, & non staret. Staret ut concedit Granado, probari potest: quia aliās simpliciter tolleretur tunc libertas Dei, quia tolleretur indifferentia ad oppositum, quod autem cum illa necessitate morali non possit stare potentia physica ad nolendum optimum, probatur. Quod est ita necesse Deum facere, ut nisi faciat, debeat desinere Deus esse Deus, ad illud non faciendum non potest Deus habere potentiam physicam, aliās haberet potentiam physicam ad hoc, ne sit Deus; sed nisi Deus faceret optimum, desineret esse Deus: Ergo ad non eligendum optimum non habet potentiam physicam. Minor probatur. Tum quia id docent oppositi. Tum quia si potest stare divinum esse, quamvis non eligat optimum: Ergo non est dicendus ad hoc necessitari: hoc ipso enim esset perfectus, sine imperfectione, liber. Tum quia si haberet potestatem Deus desinendi à suo modo existendi, deficeret in Deitate: Ergo etiam si daretur habere potestatem deficiendi à suo modo operandi sibi proprio, desineret Deus, esse enim est propter operari; & tu dicis, modum operandi proprium Dei, esse, eligere optimum.

*Idem sic aliter proponitur.* Necessitas illa moralis, verè esset necessitas physica: Ergo si non datur necessitas physica in Deo operandi optimum, nec dabitur moralis. Antecedens probatur. Necessitas fundata in ipsis naturæ principis, & conditione naturali agentis, est necessitas physica: quia necessitas physica, est necessitas naturalis, necessitas autem naturalis, & necessitas fundata in ipsis naturæ principis verbo differunt; sed necessitas moralis volendi optimū asserta in Deo, est necessitas fundata in ipsis naturæ principis. Quod probatur. Omnis necessitas vel est ab intrinseco, vel ab extrinseco; illa necessitas moralis non est ab extrinseco: Ergo est ab intrinseco. Ergo est fundata in ipsis naturæ principis: illud enim intrinsecum, significat id, quod est fundatum, oriundum, & determinatum ab intrinsecis principis. Quod autem omnis necessitas sit vel ab extrinseco vel ab intrinseco, probatur: quia omne quod est (sicut & totum Universum) clauditur his duobus, est, vel hoc, quod est ipsum, vel hoc, quod est extra ipsum; Ergo & omnis necessitas vel est ab extrinseco, vel ab intrinseco. Quod autem illa necessitas non sit ab extrinseco, probatur: quia necessitas ab extrinseco non potest alia cogitari, quam necessitas illata ab objecto: sed hæc necessitas moralis, non est necessitas ab objecto. Tum quia volunt oppositi, hanc necessitatem moralem tenere se ex parte modi agendi divini: Ergo hæc necessitas non est præcisè ex objecto. Tum quia, si nihil ponatur ex parte ipsius voluntatis divinæ liberæ, non videtur quicquam, quod objectum illud necessitet ad sui amorem, & cur

non contineat, in quacunque sua excellentia, fundativum quid despiciabilitatis, per ordinem ad Deum; cum etiam bona vilescant respectu dignioris volentis. Tum quia necessitas hæc moralis, inventa est ad dignificandam voluntatem Dei, quomodo autem dignificabitur solo extrinseco objecto?

CONFIRMATUR Conclusio. Sequeretur vi doctrinæ oppositæ, Incarnationem, cum est, non esse, hoc autem implicat. Sequela probatur. Sequeretur & que illam non habere causam, cum est, ac cum non fuit: Ergo sequeretur illam, cum est, non esse; non enim potest esse, sine sui causa. Antecedens Principale probatur. Incarnatio cum non fuit, non habuit causam sui, voluntatem Dei actualem, necessitatem moraliter & liberam physicè, & simul cum est, non habet causam sui, voluntatem Dei actualem, necessitatem moraliter & liberam physicè. Quod ipsum probatur. Æque fuit voluntas Dei actualis necessitatem moraliter & potens physicè producere Incarnationem, antequam illam produxisset, atque est voluntas Dei actualis, necessitatem moraliter, & potens physicè producere Incarnationem, nunc cum jam est Incarnatio: Ergo si voluntas illa actualis non posuit Incarnationem antequam fuisset, nec illam ponet cum est. Antecedens probatur: quia impossibile est, voluntatem Dei esse necessitatem moraliter, & non esse voluntatem actualem, quia impossibile est etiam esse voluntatem necessitatem physicè, & non esse voluntatem actualem, inter quas necessitates hæc sola est differentia, quod positâ necessitate physicâ, tollatur posse oppositi; positâ autem determinatione morali, non tollitur; licet etiam necessariò exeat in actum, quod si positâ necessitate morali ad volendum optimum, non est necessitatus Deus ad illam, antequam illud velleret: nec dicendus necessitari, cum vult; quia utrobique est eadem conditio necessitatis.

## OCCURRITUR

### Variis Responsonibus.

QUOD attinet ad Primum Argumentum. RESPONDEBIS I. Dicto argumento multum probari, probabitur enim etiam Deo peccatum esse possibile, nam in peccato sunt duo: Actus Dei intrinsecus, & hic esset æq; perfectus, atq; actus virtutis, & ipsum objectum peccaminosum, quod esset extrinsecum Deo, extrinseca autem non vitarent, possetque Deus peccare, nam æque maneret perfectus, & simul magis liber.

CONTRA: Argumentum illud primum, ut dixi, procedit in principio negativo: *Sed non implicet*, implicat autem, Deum peccare. Deinde quia ipsa latitudo inclinativa in objectum vitiosum, arguit in eo, quod illam lationem habet, imperfectionem.



fectionem, hoc autem in presenti ostendi non potest.

RESPONDEBIS 2. Talem conceptum divinæ voluntatis implicare, & esset enim perfectior illa voluntas præ illa quam adstruit Grano, ut supponitur; & non esset perfectior, quia optimum nollit.

CONTRA est: quia hæc ipsa implicantiæ in argumentum sumitur, sic illud formando. Non implicat ut voluntas divina, æquæ sit perfecta intrinsecè, quamvis non semper optimum velit.

RESPONDEBIS 3. Etiam per nos sunt inæquales perfectiones divinæ.

CONTRA. Sunt inæquales ex modo nostro concipiendi, & ita melior est omni scientia præ ubiquitate, sed ad modos concipiendi in presenti non attenditur: instituitur enim quæstio: An re ipsa perficiatur Deus magis, si velit optimum, idque ita, ut non esset Deus, si nollit optimum.

*QVOAD II. Argumentum.*

RESPONDEBIS 1. Quod non agnoscas aliquid optimum ratione individui, sed nonnisi ex ratione generica.

CONTRA. Tum quia redit argumentum factum, quidnam sit illud etiam in ratione generica, quod necessitet Deum? Tum quia, optimum, secundum rationem genericam, non est nisi per rationem, cuius est genera fabricare; Ergo jam non ostendis aliquid physicum ad quod Deus determinetur necessitate morali, & tamen determinatio hæc Dei, non est ad rationes abstractas, cum sit practica, ut ita dicam; praxis autem particularium est. Tum quia ista optimitas generica, vel stat in connexionione essentialium prædicatorum: & hæc est communis etiam iis, ad quæ non necessitatur Deus, v. g. illis quæ nunquam existitura, si autem est optimitas ratione accidentalium prædicatorum & perfectionum, in istis, ut dixi, semper est procedere ultra.

RESPONDEBIS 2. Præsens universum ideo esse optimum, quia continet secundum genus, omnia possibilia.

CONTRA est. Quia quærere restat, per quid salvetur optimitas ipsius illius generis, & quidem adstrictiva Dei, ut nonnisi ametur (idque ut in talibus suppono, in ordine ad existentiam) Rursus si Responsio procedat de genere remoto, vera est; sed non apparet quomodo tale genus sit necessitativum; competit enim hoc genus v. g. entis etiam formicæ, quæ non necessitat Deum, ut ponatur; si autem id procedat de genere proximo, cur non sint possibiles species non participantes de hoc genere proximo, ad quas tamen non necessitatur Deus? Unde hæc responsio involveret, ea omnia dari debere, quæ sunt possibilia, cum tamen de facto non dentur.

RESPONDEBIS 3. Quod optimum, non sit spectandum utcunque, sed respectivè ad perfectionem universi.

CONTRA. Tum quia redit argumentum, per quid constituatur ipsum universum in ratione optimi? Tum quia quæ imperfectio esset presentis Universi, si cæli essent corpora simplicia? si daretur sensitivum, sine vegetativo, & cæteræ possibiles similes species. Tum quia ipsum universum, quæro estne optimum, vel non? si non est optimum. Ergo contra tua principia non necessitabitur Deus ad illud ponendum. Si autem est optimum: quæro unde rationem optimi sumpsit? non ex entibus quæ continent, secundum se spectatis, ut respondisti: non etiam ex illis simul sumptis, respectivè tamen ad universum spectatis: quia simul sumpta, sunt ipsum universum, quomodo ergo respectivè ad universum spectata sunt optimum, cum tamen extra illa simul sumpta, nullum sit universum, quod respici possit.

*QVOD attinet ad Confirmationem.*

RESPONDEBIS, quod illa necessitas determinet nonnisi substantiam volendam, hoc est, INCARNATIONEM, sed non determinet tempus nec individuum volendum; proindeque quantumvis Deus supponatur esse ab æterno determinatus, ad ponendam INCARNATIONEM, non deberet tamen censerī, quod habuerit voluntatem actualem ad illam ponendam, antequam posita fuisset. Et sicut, cum dicitur homo, sine specialibus auxiliis gratiæ, impotens esse moraliter, quin in aliquod veniale incidat, non hoc ipso statim in illud incidit; sic, nec Deus determinatus necessitate morali ad Incarnationem, hoc ipso intelligi debet, habere voluntatem actualem, ad illam ponendam.

CONTRA est. Tum quia determinatio physica quantumvis non determinet ad hoc individuum, tamen si supponitur in subiecto, determinat agens, ut ex tempore agat, v. g. ut ignis ex tempore urat, vel prædeterminatus ut consentiat: Ergo & determinatio moralis, determinabit Deum, ut ex tempore agat; Ergo cum supponatur Deus, antequam fuisset INCARNATIO, fuisse determinatus moraliter ad illam ponendam, supponendum erit, quod illam egerit antequam egerit. Tum quia, quod homo non ex tempore peccet venialiter, id pro presenti non convincit; quia non supponitur esse illa impotentia aliquid determinans ut peccet, alioquin non liberè peccaret: sed solum negatio principii, cum quo omnia venialia vitari possent; jam autem est in Deo determinatio, ut velit optimum. Tum quia si Deus diceret: volo liberare damnatos ex inferno, quando obligabor istâ meâ promissione; certè & liberarentur illi damnati, & non liberarentur; liberarentur, quia dicit Deus liberandos; non liberarentur autem, quia nunquam esset obligatio, si ex tempore non esset: cum posset in sequens, aliud & aliud, differri instans. Ergo etiam necessitas illa, quæ simul non determinat ad hunc & nunc agendum, & esset



& esset necessitas, ut supponitur, & non esset: quia ita se haberet, ac illa obligatio divina liberandi damnatos. Et si liberaret eo casu Deus damnatos, verè non ex illa obligatione ageret; Ergo etiam si velit Deus optimum, non ex illa necessitate volet, denique rediri sic potest ad argumentum. Non necessitabatur Deus physicè & moraliter ad circumstantias INCARNATIONIS, ad substantiam autem illius ponendam, non magis necessitatur dum est ac quando non fuit, quæ enim hæc major necessitas? Ergo sicut, cum non fuit Incarnatio non erat; ita cum est, non est, ut voluit argumentum.

## DIFFICULTAS II.

*Examinantur aliorum Rationes pro eadem Conclusionem.*

**R**ATIO est quæ utitur Lugo, quia scilicet opposita sententia, ponit quandam libertatem Dei valde limitatam & imperfectam, contra id, quod communiter concipiunt fideles, circa beneficia à Deo, sibi collata: & contra id quod SS. PP. significare volunt, quando dicunt, Deum potuisse vel homines in peccato relinquere, vel aliis modis eos reparare; nã licet potentia physica cum impotentia morali, sufficiat in rigore ad meritum vel demeritum, est tamen adeo debilis, ut apud PP. nunquam ferè appellatur potentia simpliciter, sed potius impotentia; & ita dicunt hominem non posse vitare omnia venialia, quod tamen non est physicè impossibile.

**R**ESPONDERI potest huic Rationi, quod regula adstruendæ tantæ vel tantæ libertatis divinæ, non debeat esse major illimitatio ipsius; & sicut non ex eo concedenda est Deo libertas, quæ se extendere possit etiam ad posse peccare, quia per hoc magis redderetur illimitata, nam esset ad bonum, & ad oppositum; sic nec ex eo præcise, quod magis illimitata fieret libertas divina, si possit non velle optimum, adstruenda erit talis esse libertas divina. Consequenter, debet illimitari libertas divina, cæteris paribus; inter cætera autem quæ in adstruenda tali vel tali illimitatione perfectionum divinarum, debent esse paria, est perfectio major; & ita quia major est perfectio, non habere libertatem ad peccandum quàm habere, talem libertatem non concedunt Theologi Deo: quia autem per Granado major est perfectio facere semper optimum, quàm non facere semper optimum, fit, ut per Granado, talis libertas Deo non debeat concedi, quæ uti possit, ut nolit optimum. Quod attinet ad sensum fidelium quem habent de beneficiis Dei, hic menti Granadi non contradicit; quia beneficia data fidelibus, non sunt optimû, adeoque ad quod necessiteretur Deus. Quod attinet ad sensum PP. de Redemptione generis humani, concederet Granado, aliquos PP. in opposita sententia fuisse, tuereturque se autoritate

aliorum suæ sententiæ faventium. Addi rursus potest, aliam esse istam propositionem; alio modo etiam potuit liberari genus humanû, & non INCARNATIONE: & aliam hanc; nullo titulo necessitabatur Deus ad ponendam Incarnationem: primam propositionem concederet in suis principiis Granado, negaret secundam. Quod autem attinet ad illud, quod potentia physica, conjuncta cum impotentia morali, non appelletur à Patribus potentia simpliciter, sed potius impotentia; responderet Granado, impotentiam moralem conjunctam potentiæ physica, respectu duplicis objecti spectari posse; Prima impotentia est, secundum quam non potest aliquis facere aliquid boni, licet physicè habeat potentiam, ad illud faciendum; secunda impotentia, secundum quam aliquis non potest facere aliquid mali, vel non potest, non facere aliquid perfecti, quamvis habeat potentiam physicam ad illud non faciendum. De priori potentia tractant Patres, eamque appellant impotentiam potius, quàm potentiam; de secunda non agunt. Et quod prior illa, sit impotentia, non verò posterior, ratio asserri posset: quia potentia sine addito & simpliciter, notat perfectionem; & quia non est perfectio agere malum vel imperfectum, qui non habet potentiam moralem ut agat aliquid bonum, vel perfectum, licet ad illud habeat potentiam physicam, cum qua tamen moraliter, non possit agere nisi malum, ideo illa quam habet potentia, meretur dici simpliciter impotentia; jam autem non posse agere nisi bonum & perfectum, vel optimum, est perfectio: ideo tale non posse, rectè poterit dici potentia simpliciter. Deinde, omne malum & imperfectum quæ tale, non est ens, sed potius defectus entis, & non esse entis; unde non debet dici potentia, illud, quod est respectu ejus potentia, sed potius debet dici impotentia, quæ ipsa, quæ talis, est non entis; quia ergo potentia primo modo sumpta, est potentia mali & imperfecti, adeoque non entis, principium illius principiativum, non tam debet dici potentia, quàm impotentia: è contra verò, quia non posse facere nisi optimum, est quoddam excellenter perfectum, impotentia faciendi non optimi, potius debet dici potentia. Et sicut, quamvis Deus non possit peccare, adhuc habet Deus potentiam simpliciter liberam, ita & in præsentia.

2. RATIO ejusdem est. Quidquid sit, an de facto Patres veteris testamenti Incarnationem à Deo petierint; de possibili tamen non videtur negandum, potuisse eos pro illa orare; si autem Deus ex se necessitatus esset moraliter ad volendam Incarnationem, inutilis videretur oratio; quorsum enim petas ab aliquo id, quod ipse moraliter non potest non facere?

**R**ESPONDETUR. Ex ratione petendi aliquid à Deo, non potest inferri, quod res potuerit non esse; quia nec ex ratione petendi argui

\* d

potest,